



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P.|| VINCENTII|| BRVNI, SOCIE-||TATIS IESV,|| BREVIS  
TRACTATVS|| DE SACRAMENTO|| POENITENTIAE,**

**Bruno, Vincenzo**

**Coloniæ Agrippinæ, 1598**

**VD16 B 8664**

Seqviter Examen In Præcepta Decalogi, in quibus comprehensæ sunt aliæ  
omnes materiæ, in quibus potest peccari mortaliter.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59993](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59993)

Sacramento, commisit sacrilegium,  
quod est peccatum grauissimum.

*SEQVITVR EXAMEN IN  
Præcepta Decalogi, in quibus compre-  
hensa sunt alia omnes materia, in  
quibus potest peccari mor-  
taliter.*

*Circa primum Præceptum, quod est Cole-  
re Deum super omnia.*

**C**IRCA Fidem. An crediderit o-  
mnia, quæ S. Romana Ecclesia cre-  
dit, vel certe habuerit opinionem in  
aliqua re fidei Romanæ contrariam.

An verbis vel signis externis infidelita-  
tem aliquam vel hæresin prodiderit,  
vel probarit.

An fuerit nimium curiosus, in inue-  
stigandis rebus fidei, & an de aliquo  
fidei articulo dubitauerit?

An apud se habuerit, vel legerit libros  
hæreticorum, aliosque libros ab Eccle-  
sia prohibitos?

An sciuerit orationes, aliaque neces-  
saria, quæ quisque Christianus scire  
tenetur, vt sunt mandata DE I, Domi-  
nica oratio, Credo, & mysteria princi-  
palia fidei?

An

An vsus sit aliquo genere superstitio-  
num, incantationum, & diuinationum  
per se vel alios.

An schedulas superstitiosas apud se  
habuerit, ad sanitatem, aliam uero rem  
obtinendam; & an alios induxerit ad  
earum vsum.

An fidem habuerit somnijs vel augu-  
rijs, accipiendo illa pro regula actio-  
num suarum?

An nimium præsumendo de diuina  
misericordia commiserit aliquod pec-  
catum, vel in malo perseuerarit, diffe-  
rendo emendationem?

An in rebus aduersis fiduciam potius  
in creaturis, & auxilio huius mundi,  
quam in Deo collocarit.

An diffidendo misericordiæ diuinæ  
desperauerit de emendatione vite, vel  
remissione peccatorum obtinenda?

An murmurauerit contra Deum, con-  
querendo, quasi non esset iustus, vel  
reprehendendo eius providentiam?

An per timorem alium uero respectum  
humanū cogitauerit offendere Deū,  
aut non facere, quod pro suo officio  
& Dei seruitio facere tenebatur?

An auersionem cum quodam horro-  
re à Deo habuerit, & rebus diuinis ad  
salutem suam pertinentibus?

An

POENITENTIAE. 23

An maledixerit, vel blasphemauerit Deum, aut Sanctos, aliasque creaturas?

An exposuerit se periculo peccandi mortaliter, vel an complacuerit sibi in peccato olim commisso.

An persecutus sit & calumniatus hominibus pijs, detrahendo bonis eorū operibus, & impediendo, ne illa facerent, & sigillatim an impediuerit aliquem, ne ingrederetur religionem.

CIRCA II. PRAE-  
ceptum.

*Non assumes nomen Dei tui in vanum.*

**A**N iurauerit falsum, sciens esse, vel certe dubitans esse mendacium, siue ioco factum sit, siue de re leui?

An iurauerit, promittendo rem licitā quam postea non obseruarit, aut intentionem habuerit non seruandi cū iuraret?

An causam dederit alicui, vt falsum iuraret, vel non obseruaret iuramentum licitum.

An iurarit, adiuncta maledictione, v. g. auferat me diabolus, tale vel tale malum mihi eueniat, si non fecero, & c.

An iurarit se malum aliquod vel pec-

**B** catum